

**Inaugurale, in epilepsia, medicinae faciendae specimen ... / Joannes Glotseisius.**

**Contributors**

Glotseisius, Joannes.

**Publication/Creation**

Tubingae : E Chalcographéo Celliano, 1606.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fdjh6t2v>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

INAUGURALE,  
**IN EPILEPSIA,**

*Medicinæ faciendæ specimen,*

QUOD,

Iatrologo Ter. Opt. Max. Auspice,

*Nec non consensu atque Authoritate, Amplissimi  
Ordinis Asclepiad. in Academ. Tubingensi:*

SUB PRÆSIDIO

**CLARISSIMI ET**

**EXPERIENTISSIMI VIRI, DN.**

IOAN. FABRI DOCTORIS MEDICINÆ, EIUS-  
demque Professoris in Academia patria ordinarij, Me-

dicæ Facultatis p. t. Decani spectatissi-

mi, D. Præceptoris sui demis-

sè colendi:

**DOCTVRAM MEDICAM, EIVS.**


*quæ privilegia promeriturus examinan-  
dum amicè proponit,*

*Ad diem proximum Sabbati, qui incidet*

*in 6. Sept.*

**M. JOANNES GLOTSEISIUS**

Lauinganus, Contubernij Tubing. p. t. Rector.




TUBINGÆ,

E Chalcographéo Celliano.

ANNO

—  
HoDie Mihi; Cras erit tibi.





Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30761803>

*Ad Viros*

**DIGNITATE AMPLIS-  
SIMOS, AUTORITATE GRAVISSIMOS,**

PIETATE CONSPICUOS, VIRTUTE ET ERUDITIO-  
ne præstantissimos, longoque rerum usu  
clariss. laudatissimæ Reip.

Lauinganæ,

*PRÆFECTVM INTEGERRIMVM,  
CONSVLES MERITISSIMOS,  
SYNDICVM V. I. DOCTOR. CONSVLTIS.*

**ET**

*Ceteros senatores prudentissimos, D. & fautores  
suos plurimum observandos.*



Mnium literarum & prudentum verè clami-  
tant voces, & testatur cotidianus rerum usus,  
nullius civitatis ac Reipub. statum esse fortu-  
natum, sine piis & honestis disciplinis & ar-  
tibus, ut vt hæc à quibusdam negligantur. A  
sapienibus enim, non stultis: à prudentibus,  
non verò ignaris: & à viris doctis, non imperitis fundatæ, con-  
stitutæ & conseruatæ semper fuerunt civitates. Et hæc est uni-  
ca laus civitatum, salutare nimirum & utile disciplinas & ar-  
tes prouehere atque in præcio habere. Hoc unicum magnarum  
urbium decus & ornamentum. Hinc sapienter & præclare di-  
xit Hipp. ad senatum & populum Abderitarum scribens: beati  
profectò, inquit, sunt populi, qui sciunt bonos viros sua esse mo-  
numenta, non turre, non muros: sed sapientum virorum sa-  
pientia consilia. Est autem Medicina quoque artium una vel pul-  
cherrima, vel maximè necessaria, vel potius in necessitate spe-  
ciosissim ars, & ad laudem ac gloriam Dei sicuti aliæ res uniuers-  
æ, & ad salutem atque utilitatem humanæ societatis sapienter  
destinata. Hæc enim sola est, præter Theologiam, ex qua Creato-

rem nostrum, ejusque ἀρρητα opera agnoscere & intelligere licet.  
In rem præsentem enim hæc animos quasi ducit, ante oculos  
ponens, quandam veluti picturam, quæ sensibus nostris quædam  
quæ in Deo sunt repræsentat. Hæc est, cujus ope horrendis cala-  
mitatibus & cruciatibus diris defungi & sanitate frui possumus.  
Quod autem Amplissimi, Clarissimi & Prudentissimi Viri, vestro  
honoratissimo & splendidissimo Nomini, meas qualescunque  
initiales theses sacras voluerim: cum eximiæ & admirandæ do-  
tes, quibus coruscatis, pietas singularis, expediendorum nego-  
tiorum laudabilis dexteritas, prudentia, fides & humanitas, aliæ-  
que plures virtutes me impulerunt: tum vel maximè ardens li-  
terarum amor, quem probatis in schola patria illustranda ac  
conseruanda. Sumptus enim plurimos in eam facitis, plurimos-  
que eius causa suscipitis labores, quò nunquam desint, qui pru-  
denter & utiliter gubernandæ ac regendæ Reipub. rationem te-  
neant: & medicinam, qua nihil honestius, nihil laudabilius, nihil-  
que utilius est, φρονιμωσ, utiliter ac dextrè faciant: atque multi-  
plex benevolentia erga me, & mihi meisque exhibita officia &  
beneficia. Accipite ergò Amplissimi, Grauiissimi & Prudentissimi  
Viri, theses has medicas meas, apud vos studiorum meorum,  
meique erga vos officii, observantiæ & gratitudinis testes quas  
depono: nec donum ipsum, quod levisuculum est, sed animum  
donantis æstimate: ac me meaque studia & commoda prouehere,  
meque benevolentia complecti pergite. Hisce V. A. Archia-  
tri Dei dextræ, eidemque me meaque studia summisè com-  
mendo.

*Additissimus vestra*

*Reipubl.*

*Clients*

**M. Iohannes Glotseisus Lauinganus,  
Contubernij Tubingensis p. t. Rector.**

*Autor & Respondens.*



# DISPUTATIO DE

## EPILEPSIA.

### THESIS I.



*N*ter alios quàm plurimos affectus, qui Propositio.  
 mortales enormi symptomatum sevitia,  
 crudeliter exagitant, animalis facultatis  
 operationes inhibent, eiusque organa in  
 vitium abripiunt: optima censeari posse et-  
 iam epilepsiam dicimus. Quae non tantum  
 de repente hominem, adoritur, & inopinato apprehendit:  
 verum etiam medici animum valde dubium reddit.

### II.

Essentiam igitur, naturam & causas huius morbi ape-  
 rire signa quae ad causarum inventionem deducunt, *Φαυ-  
 μένων* item, accidentium priorum, nec non symptoma-  
 tum rationem explicare, & propositis indicationibus, ad  
 ipsam curationem pergere placuit.

### III.

Varias accipit hic morbus appellationes, unum tamen Ratio nomi-  
nis.  
 revera & eundem numero affectum, quae denotant. Aliis  
 enim indigitatur infantilis & puerilis, ratione aetatis, quod  
 nim. infantib. & pueris sit congener & familiaris. Aliis vo-  
 catur comitialis, ea propter quia in comitiis, aut pudore, aut  
 indignatione consternatis ex facili accidit. Hercules item  
 dicitur, non quod Hercules eo laborarit, sed quod adeo ma-  
 gnus sit. Aliis item pluribus nominibus gaudet. Germanice  
 vocatur, *Gicht / vergicht / der fallendtsiechtag / fallendts-  
 lucht / Kindtlin wee.*

## IV.

Recensetur hic rectè inter symptomata, ex functione laesa, quae suscitantur. Omnis enim operatio facultatis quae reëtricem, motricem & sensitivam sub se complectitur in hoc non solum diminuitur, vel deprauatur tantum, sed prorsus κατὰ τὴν ἀπόθεσιν tollitur.

## V.

Definitio morbi.

Ad morbi potius essentiam nos respicientes non ad ipsius consequens, symptoma nimirum, asserimus epilepsiam esse motum convulsivum omnium partium corporis, per intervalla recurrentem, ab humore vaporeve, sæpius maligna qualitate expultricem facultatem stimulantem, productum cum sensus & motus oblesione.

## VI.

In hac definitione omnes morbi causae concurrunt: si non manifestè & palàm, attamen implicitè.

## VII.

Subiectum

Δεκτικόν, ipsamque partem affectam, nervorum originem, ipsum videlicet cerebrum agnoscimus.

## VIII.

Hoc testatur, cum sensitivarum, tum motivarum actionum ἐκλυσις. Fons enim & sedes harum cerebrum existit: unde meritò primarium & principale haberi potest.

## IX.

Affirmamus autem fieri hanc convulsionem epilepticam, ob ventriculorum & meatuum cerebri atque spinalis medullae affectum, salva plerumq; ab omni lesione substantia cerebri. In universali enim convulsione primario affectum esse principium nervorum Gal. docet. 3. lib. de l. aff. 3.

## X.

A similarium autem partium morbo, intemperie nimiae actiones cerebri principaliter tam subito non laeduntur: sed organico aliquo destrui oportet. Subitus enim est accessus & recessus.

## XI. Cau

XI.

*Causa autem efficiens consociata videtur materiali.* causa effici-  
*Siquidem σουεκτην̄ est humor vel pituitosus, vel melancho-* ens.  
*licus cerebri ventriculos ut plurimum obstruens, vel vapor*  
*aut alia qualitas maligna, venenata & corrupta cerebrum*  
*vellicans. Cerebrum enim molestia offensione concitatum,*  
*noxium extrudere cupit.*

XII.

*Formalis διάθεσις habetur, qua symptoma horren-* Formalis.  
*dum toti corpori, sensiteriorum nim. privatio inducitur.*

XIII.

*Πέρας siue terminus sunt symptomata horribilia, a-* Finalis.  
*Etionumque cum principum facultatum, tum sensuum ex-*  
*ternorum & motus lesio.*

XIV.

*Differentia uti causarum explicationi præmittantur,*  
*pro necessario ducimus.*

XV.

*Non tantum autem secundum quantitatem & ma-*  
*gnitudinem huic morbo accidunt differentia: quod nim. aila*  
*sit levis διάθεσις, ubi admodum remissa sunt symptomata, a-*  
*lia mediocris ubi intensiora sunt, & alia gravis ubi gravia*  
*sunt symptomata. Sed etiam ratione causarum, ac respectu*  
*generationis modi certas adsciscit species.*

XVI.

*Concinna autem & præ cæteris praxi convenientior* Differentiæ.  
*videtur: si quando una per ιδιοπαθειαν, in capite qua cere-*  
*brum infestat, statuitur: quæ solutu difficilis est, & propriis-*  
*simè epilepsia dicitur per essentiam, in qua vel ventriculi*  
*cerebri, vel spinalis medullæ principium afficitur.*

XVII.

*Altera est cuius causa non in cerebro: sed in ventri-*  
*culo stabulatur, cum quo cerebrum consentit.*

XVIII. Ter-



*Tertia, quando ab alia parte corporis mediante vapore venenato, aut alia maligna qualitate substantia cerebri quoquo modo afficitur. Quæ species omnes citra mortis periculum contingunt, præsertim in adultioribus. Et hæc duæ posteriores sunt per consensum, vel à ventriculo, intestinis, utero, vel aliis partibus.*

## XIX.

Causarum  
divisio.

*Causarum nomine alia consideranda veniunt evidentes seu externa: alia verò interna seu corporales uti prædicti vocant.*

## XX.

Externæ seu  
Evidentes

*In censu procat arcticarum sunt, aër valde intemperatus, esculenta & poculenta, retenta & excreta, radulinæ: ceteraque res non naturales id genus à modo abeuntes, & adhuc morbum disponentes, capitisque vires dissolventes fomitem præbere possunt. Gravia item symptomata, quæ vel promovendi vel commovendi vim habent. Demon quoque spiritus malignus, ut legere est Marc. & Luc. 9. Præcipuum autem ius sibi vindicat divina procreatrix facultatis parentum vis.*

## XXI.

*His annumerari potest odor lapidis gagatis, cornu hircini aut styracis olfactio, ungula asini cremata &c.*

## XXII.

Internarum  
causarum di-  
visio.

*Internas causas discescere licet in duas species, quarum alia antecedentes, alia coniuncta vocantur.*

## XXIII.

Antecedens.

*Antecedens est crassus vel pituitosus, vel melancholicus humor, qui naturæ limites transcendit, ventriculo & meatu cerebri obstruit; vel quando surrecto vapore venenato & corrupto, aut alia qualitate maligna cerebrum ad expulsionem irritatur. Vnde quoties eiusmodi humore*

& vapo

vapores cerebrum feriunt, colluctatio tam vehemens & pugna cerebri oboritur.

XXIV.

Huc referri possunt caro caprina, hircina, porcina, bovina, pedum bubulorum: cum primis sale condita carnes, suffumigata & vaporosa. Usus cucumerum, melonum, peporum, testudinum, citrullorum, casei duri & antiqui, oleorum & leguminum esus. Imprimis vina nigra, crassa, quae generando huic affectui aptissima sunt.

XXV.

Causa coniuncta est oppilatio actualis, sed non omnimoda, & vellicatio ab humore, aut vapore cerebro inimico & graviter infenso.

Coniuncta.

XXVI.

Ordinis ratio iam flagitat, ut explicemus signa & symptomata, quibus morbus detegitur. Horum autem alia sunt τροχαιοδνητικά, alia διαγνωστικά.

XXVII.

Diagnostica, subitus in terram attonitorum instar lapsus, motus depravatus, aestuatio corporis, arctissima pollicum manuum compressio, incurvatio digitorum, indiscreta vociferatio, dentium stridor, spuma circa os, oculorum perversio, fecum alui & urinae seminisque involuntaria emissio quod signum utrarum, ita pessimum à practicis annotatur, difficultas spirandi.

Signa diagnostica & ratio symptomatum.

XXVIII.

Prognostica, summum rerum tedium, tristitia, gravitas capitis, pigrities, aurium tinnitus, vertigo, linguae motio involuntaria, spuma ad os affluxus copiosus & albicans, melancholia cepia colore livido conspicua.

Prognostica

XXIX.

Primaria epilepsia periculosior censetur reliquis quae per sympathiam fiunt: sic & quae haereditaria est, ac inueterata rarissime curatur.

XXX.

*Quae longiore tempore durat, tardiores: quae citò desinit celeriores victoriam sperare iubet.*

XXXI.

*Infantibus & puellis omnium maximè insidiatur, provectoris aetatis hominibus rarius. Senes verò nunquam aut rarissimè corripiuntur epilepsia, apoplexia verò saepius.*

XXXII.

*Quibus morbus fit ante pubertatem, aetatum mutatione defunguntur eo: quibus post vigesimum quintum annum durat difficillimè curatur, usque ut plurimum commoriuntur, ut docet Hipp. 5. aph.*

XXXIII.

*Maximam partem melancholici epileptici fiunt, & contra 6. Epid.*

XXXIV.

*Mulieri uterum gerenti, si superveniat epilepsia, citra febrim, grave periculum minatur: non minus grave, si à partu non desinat.*

XXXV.

*Ab artibus, quae ab aura quadam scaturiente fit epilepsia, aut nulla aut perexigua est, si vinculis arctioribus constringuntur. Iuxta Gal. de puero epilept.*

XXXVI.

*Gulosi & effrenati, sicuti ab epilepsia tardissimè liberantur & resipiscunt: sic ab eadem facillimè capiuntur.*

XXXVII.

*Epilepsia quae sequitur motum lunae, si coniunctionem servaverit, ac vicinos aspectus, principaliter à frigiditate oritur, quae verò in plenilunio commovetur, nascitur maximè ab humiditate.*

XXXVIII.

*Alvi excrementa pessimè olent, & non benè coct. exeunt.*

XXXIX. urin.

## XXXIX.

*Vrina magni caloris indicia praese non fert, sed cruditatem magis exhibet.* XL.

*Per vomitum pituitosi humores reijciuntur.*

## XLI.

*Sumuntur autem auxiliorum indicia, à forma, subiecto & causa effectrice.* Indicationes

## XLII.

*Noxa apoplectica aliud monet nihil, nisi intellectus & sensuum interceptorum restitutionem. Subiectum sui custodiam & conservationem, quae salutarium admotione perficitur, exigit.*

## XLIII.

*Efficiens causa pro varia specie humorum, qualitateque varia diversa praesidia, per alterationem & ablationem insinuat & indicat.*

## XLIV.

*Si plethoricum offertur corpus, V. S, humores peccantes sui evacuationem: venenati ac corrupti succi eradicationem: aut per contrarium alterationem.*

## XLV.

*Si ab inferioribus fiat expiratio revulsionem, derivationem aut interceptionem postulat, aut si caput sit defectuosius, roborationem efflagitat.*

## XLVI.

*His ita perlustratis ad rationem medendi, qua serie nim. ducenda sit, sermonem transferre tempestivum est.*

## XLVII.

*Modus praeservandi & curandi situs est in diata, humiditatum superfluarum & peccantium humorum educatione, cerebri confortatione & cordis, quod à maligno & venenato ac corrupto vapore lacesitur & debilitatur.*

## XLVIII.

*Hac autem omnia perfici possunt triplici specie instru-*

mentorū, partim extra accessionem, partim verò in ipsa  
accessione χειρουργικῆ, Φαρμακευτικῆ, καὶ διαίτητικῆ, quorum  
singula strictim deinceps persequi par est.

XLIX.

Extra accessionem existente corpore plethorico, V. S.  
maximè commendatur, virium atatisque habitatione &  
aliarum circumstantiarum consideratione non neglecta. Si  
fluxus hemorrhoidalis vel menstrualis. p. n. interventu a-  
lic. causa sistatur, reserationem venarum moliri necesse est.  
Lingua quoque frontisq̄, si opus est, vel malleoli vena sunt  
incidenda, cucurbitulae capaciores sicca admovenda, qua  
omnia medici prudentis iudicio peragi possunt.

L.

In hunc ordinem referri possunt extremarum parti-  
um dolorificae pressiones & ligaturae, asperioribus linteis fri-  
ctiones, sed non in hypochondrijs propter difficultatem re-  
spirandi. Tensione enim hypochondriorum, quo loci abdō-  
minis musculorum rectorum est situs, laesio augetur.

LI.

In horum censu sunt etiam cauteria actualia & po-  
tentialia. Setaceam quoque usui esse potest, adhibitum oc-  
cipitio, in cervice vel ponè aures, aut in sutura vesicatoria  
profunt sinapissimi. &c.

LII.

Ad Φαρμακευτικῶν quod attinet, sit locus affectum  
fleētentibus, symptomata demulcentibus & sopientibus, ac  
robur addentibus.

LIII.

Subducta itaque in principio oleo, ad conservanda  
corpora pura per glandem ex melle cocto, succo betae, Hie-  
rapicra, sale gemma, muscerda & alijs id genus: & si neces-  
sitas urget, acutiora suppositoria reddi possunt.

LIV.

Clysmata injici quoque possunt, qua cerebro humores  
& va-

& vapores subtrahere, revellere & evacuare possunt.  
Quale esse potest Rec. Herb. 4. emollientium an. M. s. rad.  
altheæ 3. v. sem. anisi, fœnic. an. 3ij. rad. pœon. 3i. fl. pœon.  
piij, bac. lauri 3ij. helleb. nig. ℞s. z. z. ℞j. Bull. in s. q. ad ter-  
tias. Colat. adde Hiera diacolocynth. 3ij Bened. lax. 3ij.  
sach. rub. 3i. mel. ros. solut. 3ijs. vitell. ovi. No. 1. salis ℞ij  
F. Clyster.

L V.

Porro alteratio & preparatio instituenda est humo-  
rum eorum, qui in vitio sunt, preparatorumque evacuatio  
per cathartica auxilia, quæ vel vehementiora, vel levio-  
ra esse possunt pro ratione nature ægri & morbi, aliarum-  
que circumstantiarum. Opera item sedulo danda est, ne e-  
iusmodi vapores amplius generentur, quod ope probæ &  
analogæ diætæ fit, de qua mox agemus. Semper autem pax  
sit acrioribus.

LVI.

Ad alterandum & preparandum pituitosum hu-  
morem valent, decoct. salvia, beton. hysop. stach. cala-  
menth. Sambuc. Rad. fœnic. pœon. rorismar. vel Syr. Oximel.  
S. Scyll. de beton. de 2. & 5. rad. orig. hysopi.

LVII.

Ad melancholicum faciunt. lupul. fumar. epithym.  
Sena. borag. bugloss. meliss. &c.

XVIII.

Ad evacuandum valent, Diacarth. Hier. Pic. Benedict.  
laxat. castia, manna, pil. capital. Diaphan. Indum maius  
& minus. Diaturbith. Cum Rhab. Hiera diacolocynth. quæ  
phlegmagoga sunt. Serum lactis. fol. senæ, lupul. mirabol.  
lapis armen. Confect. Hamech. elect. Episcopi extract. sem.  
Cnici, helleb. & hæc sunt melanagoga.

LIX.

Præterea quæ proprietate iuvant, non sunt negli-  
genda: ut, epar vulpis, cor ciconiæ. Cran. hum. Smaragdus

vel pendula vel gestata in annulo ceu amuletum generosum prodest.

LX.

Abstinendum autem semper extra paroxysmum à ruta maximè sylvestri, succino, assa fatida, castoreo, pulegio. Ea enim vim habere insultum epilepticum accelerandi compertum est.

LXI.

In paroxismo, primò omnium os cadenti epileptico, inserto cuneo, apertū retineatur, & voce sonora inclametur, partes incurvatae deducantur ad rectitudinem, nares ptarmicis inditis constringantur, palatum theriaca Andromach. Mitridat. in aq. lavend. pæon. hyrund. similivé dissolutis, fricetur. Aq. Card. Ben. singulare in hoc casu, lil. item convall. decoct. sars. paril. aq. vitæ Lang. aq. cephal. ol. salu. spicæ, quorum vel guttula una, atq; altera naribus instillari possunt. Sp. & ol. vitriol. Ambarum, pul. epilept. potest. cum aq. millefol. hyssop. pæon. vel cum syrup. & Stachad. hyssop. aliisque appropriatis.

LXII.

Tandem ultimum nostræ disputationis caput subiicimus: Diatam nim., quæ natura studet & cum morbo nostro pugnat, in hoc casu quæ plurimum momenti habet. Aegrius enim eijcitur, quàm non admittitur hostis.

LXIII.

Aër qui circumalluit corpus agrum sit tenuis, sincerus, moderatus. Non nebulosus, vaporosus, pluviosus vel ventosus.

LXIV.

Cibus sit εύχυμος & tenuis substantiæ. Caro sit volucrum, gallinarum, pullorum, perdicum, caponum, & sit potius assa quàm elixa. Elixæ carni adiungatur fenic. petros. thymus &c. Pisces non sint lenti succi & glutinosi, ut anguil. carpionum. Vsus durorum ovorum & frixorum prohibetur.

hibetur. Vina sint oligophora, tenuis substantie, non vaporosa, nigra, rubra, que generando huic morbo aptissima sunt. Cerevisia sit tenuis, perspicua, hordeacea, non crassa, adusta, feculenta, recens, aut vaporosa vel fumosa, que sup. 24. thesi quoque damnatur, & non iniuria à victus salubri ratione eximitur.

LXV.

Commessationes & comestiones antelucanae, & antemeridiana obsunt.

LXVI.

Panis sit ex optima farina coctus & probe fermentatus, cum anis. Coriand. aut fanic. subactus. A cibo potest pulvis adhiberi ad stomachum roborandum & ascensum vaporum inhibendum.

LXVII.

Somnus est moderandus, à cibo statim vitandus, & potius nocturnus, quam diurnus commendatur. Vigiliae moderatae magnam etiam utilitatem præbent.

LXVIII.

Motus sit ante pastum, & moderatus; isque si haberi non potest, substituantur frictiones.

LXIX.

Alvus sit quotidie lubrica, si non per se, per artem lubricitas efficiatur, per malacticorum ante cibum sumptionem, ut prun. pass. ma: & min. aut per suppositoria, enemata, & lenitiva ex Cass. Manna &c.

LXX.

Ab animi vehementibus motionibus est abstinendum.

LXXI.

Balnea damnat Gal. lib. de V. S. cap. 9.

LXXII.

Musica oblectatio imperari potest, siquidem magnam vim habet spiritus recreandi.

ULTIMA

Alia est in scholis, quam in corpore presentis morbi tracta-



*tractatio, & pro diversitate subiectorum affectus, curandi  
ratio alia atque alia instituenda. Hisce breviter concludi-  
mus, admonitioni meliori nunquam non locum concessuri.*

---

**A V C T O R I D I S P V  
T A T I O N I S F A V T O R I S U O  
C O L E N D O B. D.**

*Exquisita Decus potuit censura morari,  
Promeritum nunc vsque, gravi nectuntur vtrisque  
Iam tandem nodo; perfectum scire Decusque,  
Dico, tuum. Talem satis est nunc posse videri.  
Vtere sorte tuâ, laturus præmia posce!*

**M. Herpfer F.**

**F I N I S.**